

id est sunt maligni spiritus parati, qui singulis horarum et temporum momentis humanam esuriunt mortem. Quapropter patres nostri scuta apta paraverunt contra eorum iacula, ut strictim dicam de horis et die et intellegatur nullum aditum apertum diabolo derelictum. Sunt equinoctiales noctes duodecim horarum et dies similiter duodecim. In nocte XII psalmos habemus, unum quemque psalmum per (sic) singulis horis. In die similiter, quamvis unus psalmus cantetur, tamen totidem invenitur divisus, cum primo¹: 'Deus in nomine tuo'. Excipitur matutinale, quod recto ordine mutato, id est aurora surgente, canitur, (unde et ethimologiam habet) et vespertinale officium, quae in numero psalmorum propriam rationem habent. Completorium, quod celebratur secundum Romanum usum, quattuor psalmis quattuor vigiliis custodit noctis. Unde dicitur in evangelio²: 'Quarta autem vigilia noctis'. Per singulas dominicas XVIII psalmi frequentantur. Tot enim habet horas longissima nox. Ignotum est mihi, cur in festivitatibus sanctorum et in nativitate Domini novem canantur, et tres in ebdomada pascale, quod valde desidero per vos invenire.

Hac de causa ut reor pro singulis mensibus singulos dies patres nostri constituerunt in abstinentia. Ipsaque tempora apta sunt nostro corpori (quod constat ex aere et igne et terra et aqua); aer namque humidus et calidus et siccus, aestati; terra sicca et frigida autumno; aqua frigida et humida hiemi³. Propterea dictus est homo minor mundus. Fas est consentientibus nobis supradictis qualitatibus atque faventibus ad peccandum, videlicet aere, igne, terra et aqua, ut potius oboediant ad luenda peccata, scilicet in verno, aestate, autumno et hieme. Martius ad vernum pertinet, Iunius ad aestatem, Septimber ad autumnum, Decimber ad hiemem. Id ipsum demonstravit sanctus Gregorius in omelia sua dicens⁴: 'In hoc enim mortali corpore ex quattuor elementis subsistimus, et per voluptates eiusdem corporis praeceptis dominicis contrahimus⁵. Et paulo post: 'Qui⁶ ergo per carnis desideria decalogi mandata contempsimus, dignum est, ut eandem carnem quater decies affligamus'. Sicut enim idem beatus papa docuit, decimam anni solvere per dies quadragesimales, ita docemur in oratione quattuor temporum commissa unius cuiusque mensis generaliter deflere. Altiore sensu dicam de singulis temporibus seorsum. In unoquoque tempore hoc agitur in consecratione, ut perveniatur ad gradum presbiteratus⁷. Tres namque dies ac noctes habent horas LXX duas. Sol iste visibilis omnes mundi partes in LXX duabus horis supra infraque lustrando tribus vicibus circuit. Hore LXX due

1) Ps. 53, 1.

2) Matth. 14, 25.

3) Verbessert aus 'gemi'.

4) In Evang. I. Hom. 16. Ed. Maur. I, 1494.

5) 'contrahimus' Hs.

6) 'quia' Greg. l. c.

7) Verbessert aus 'presbiteratum'.